

22.6.1943

L'Ordinario di Madrid-Alcalá, mons. Leopoldo Eijo y Garay, chiede alla S. C. dei Religiosi il « nulla osta » per erigere l'associazione fondata da Escrivá de Balaguer in società di vita comune senza voti pubblici.

Stemma

Obispado de
Madrid-Alcalá

Emme ac Rvdme Domine:

Presbyter D. Josephus Maria Escrivá de Balaguer et Albás, post quosdam impensos apostolici laboris annos in pie efformandis alumnis Universitatum Status, meis omnimodis et adprobatione et benedictione associationem instituit huic apostolatui incumbentem, cuius specificus finis juventutem Universitariam in christiana pietate colere atque in summam studiorum professionalium perfectionem impellere; eo quidem scopo ut hi alumni dein, optima efformatione technica professionali pariterque sincera et mentis et cordis religiositate imbuti, efficacem exerceant influxum super populum e variis administrationis civilis

gradibus, jugiter Sanctae Matri Ecclesiae inservientes et quammaxime filiali obedientia Episcopis Dioecesanis adhaerentes. In omnibus quos ipsi hucusque aggressi sunt laboribus, intima semper communicatione cum Auctoritate Dioecesana, cui sane tam constanti quam filiali devotioni subduntur, processerunt.

Prospere crevit opus, magno animarum fructu tum sociorum tum etiam omnium quotquot percipiunt praecolla eorundem exempla, quando, absolutis studiis, pro Ecclesia egregie adlaborant.

Hujus associationis regulae, decennali experientia persensae, adprobatae fuere a me, qui eam canonice erexi ut Piam Unionem anno 1941.

Eos vero jam protulit associatio fructus, eosque promittit in bonum animarum, ut ejusdem fundator et socii vehementer exoptent illam firmiori soliditate et altiori vita canonica munire, consulentes potissimum perfectiori sociorum christiana efformationi et perpetuitati operis in futurum, necnon unitati methodi actionis, nullo hujus exorto detimento. ex operis extensione et dilatatione. Quem in finem constitui desiderant in Societatem juxta Tit. XVII Partis II Libri I Codicis Juris Canonici, Canones 673 &. Idque a me petunt.

Eisdem optatis et ego abundo, et firmiter credo pleniores inde futuram vitam religiosam operis, hujus socios majori perfectione in proxim ducturos consilia Evangelica, quae hodie fervida, exemplari vita colunt, eorumque apostolatum induturum majorem extensionem et efficaciam in salutem animarum atque Sanctae Ecclesiae gloriam.

Adimplendis igitur Canonibus 674 et 492, consulendi ergo, rem ad Sedem Apostolicam defero, humiliter ab ea postulans ut dignetur elargiri mihi « nihil obstat » erigendae Societati juxta Constitutiones, quarum lineamenta generalia adnexa remitto, omnia correctioni Sanctae Romanae Ecclesiae subdens dum filiali animo pando extraordinarium incepti momentum, maximam utilitatem fructuum sanctificationis in hanc diem obtentorum, et spem augmenti eorundem concessionem gratiae, ideoque ardens meum desiderium ut concedatur « nihil obstat ».

Et Deus...

Matriti, die 22 mense junio, anno 1943.

† Leopoldus, Ep.us Matriten-Compluten.